

P I S A

1 6 0 8



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Hd. 11.

IV
Gm 7
AUSPICIIS SACROSANCTÆ
ET INDIVIDUÆ TRINI-
TATIS:

E N N E A S

QVÆSTIONUM
PHYSICARVM,

Quam

In inclyta VVitebergensi Academia,

P R Æ S I D E

M. ÆGIDIO STRAUCHIO,
Facultatis Philosophicæ adjuncto,

publicè ventilandam proponit.

PAULUS GESNERUSSILE-
sius, Alumnus Electoralis.

39
*Ad diem 5. Martij in Auditorio minori
horis matutinis.*

VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis per Johan. Gorman.
Anno M. DC. VIII.

Reverendis, Excellentissimis,
& Clarissimis Viris, S.S. Theologiæ Docto-
ribus, in inçlyta VVitebergensium Academia
Professoribus publicis, & Synedrij Ecclesia-
stici Assessoribus:

Dn. LEONHARTO HUTTERO,
Facultatis Theologiæ Seniori:

Dn. FRIDERICO BALDUINO,
Saxonicarum Ecclesiarum Superintendenti;
Fidelissimis, dignissimis.

NEC NON

Clarissimis atq; Humanissimis Philosophis,

Dn. M. ERASMO SCHMID,
Græcæ linguæ Professori publico, Alumnorum
Electoralium Inspectori, & Collegij Artistici pro
tempore Decano Spectatissimo:

**Dn. M. FRIDERICO TAUB-
MANO,** Poëtæ eximio.

*Dominis, Præceptoribus & Fautoribus
suis apprime colendis,*

debitæ observantiæ & gratitudinis ergò

Problemata hæc Physica inscribit

Respondens.

Non quærimus; An sola corpora naturalia propriè sint in loco? Ecquis enim de eo dubitaret? Locus siquidem definitur superficies corporis continentis; Ergo si locus & locatum dicuntur sibi invicem esse æqualia, necessum est, ut hoc etiam corpus sit. Non etiam de eo ambigimus; An omnia corpora, generationi & corruptioni obnoxia, sint in certo aliquo loco? Siquidem & hoc extra omnem controversiam positum est. De eo autem controvertitur: An corpora naturalia quatenus naturalia necessariò locum requirant propriè sic dictum, quiq; ab Aristotele definitur, superficies corporis continentis immobilis primò. Quam quæstionem circa quamvis non desint, qui pro affirmativâ tanquam pro aris & focis dimicent: nobis tamen negativa magis placet, quam, quia brevitati studemus, unico exemplo supremi cæli in hunc modû comprobare possumus: Supremum Cælum est corpus naturale: Supremum cælum non est in loco: Ergo quoddam corpus naturale non est in loco; & per consequens; Non omne corpus naturale necessariò est in loco. Major præterquam quod Philosophi est *lib. 1. de cælo t. 5. & 1. 3. de cælo t. 1.* liquet etiam inde, quia cælum motu naturali movetur: Impossibile enim est, uti Averroës habet *l. 1. de cælo*, esse aliquod corpus naturale sine motu naturali. Minor, licet & à veteribus, & à recentioribus Peripateticis nonnullis in dubium vocetur, est tamen quàm verissima. Cælum n. per se non est in loco, sed tantum per accidens, ratione videlicet partium. Quam sententiam Thomas *in comment. super l. 4. Physic. Arist.* ita confirmat: Sicuti aliquid movetur secundû locum, ita etiam est in loco: Sed cælum movetur secundum locum ratione partium: Tota n. sphaera cæli semper eodem loco manet; Partes verò ejusdem alium atq; alium subinde locum occupant. Jam n. in Oriente sunt, mox in medio cæli, nec longè post in occidente existunt. Ergo etiam ratione partium cælum tantum est in loco. Audi ipsum Aristotelem, Philosophorum principem, hoc asserentem *l. 4. Physic. t. 45.* Cælum, inquit, non est alicubi totum, neq; ullo in loco; siquidem nullum corpus ipsum continet: sed est in loco secundum accidens: parteis enim in loco quodammodo omnes sunt. Et sanè tantum abest, ut ex eo, quod cælo locum aliquem propriè ita dictum denegamus, dignitati corporum cælestium quicquam decedat, ut hinc potius, ipsdem plurimum accedat. Contineri siquidem ab alio imperfectionem quandam, quam tamen cælestia corpora vel maxime re-

mè respuunt, importat. Dato igitur vel hoc unico corpore naturali, supremo cælo, quod propriè in nullo loco est, concludimus firmissimè pro negativâ ad quæstionem propositam.

Q V A E S T I O V.

An corpora cœlestia animalia produ-
re possint?

Generale axioma est: Causa secunda non agit sine primâ: Et experienciâ comprobatum est pro cœli constitutione inferiora mutari. Sequitur mare motum Solis & Lunæ; anni tempora motu Solis distinguuntur, & juxta positum Lunæ humores in corpore dominantur. Qui effectus cum adeò sint manifesti, certissimum quòq; est, astra ad productionem animalium concurrere. Verùm de eo non immeritò quæritur: An sola cœlestium corporum virtute animantia progigni queant ex præsuppositâ aliqua materiâ? Sed & hic quis experienciâ quotidianâ contradiceret? Hæc enim mures, ranas, locustas, formicas, & alia id genus animantia *avtquam* ex materiâ putri calore cœlesti generari testatur. Sic Philosophus *l. 6. de histor. animal. c. 16.* anguillas ex putri uligine in stagnis & lacubus procreari author est. Astra siquidem, & hæc inter sol imprimis eam a naturæ principe & auctore DEO sæcunditatis prærogativam acceperunt, ut ad quorundam, quæ sponte, nulloq; paris congressu enascuntur, generationem, tanquam peculiare ipsius DEI instrumentum adhiberentur: Idq; satis commodè fit, materiæ namq; ex suâ naturâ humidæ calorem instillant, eamq; ad generationem habilem reddunt:

*Quippe ubi temperiem sumfere humorq; calorq;
Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus.*

Generantur itaq; generatione æquivocâ citra coitum virtute astrorum animalia, verum imperfecta tantum perfecta minimè: Tum quia ad horum procreationem semen necessariò requiritur, quod in corporibus cœlestibus non datur: Tum quia equum, leonem, aliq; perfectiora animalia æquivocâ hac generatione produci experientia hæctenus nondum comprobavit. Quæ enim de nobilissimæ avis Phœnicis, ut singularitate famosæ, ita posteritate monstrosæ, generatione passim referuntur, credat, qui volet.

QUÆ.

QVAESTIO VI.

An individuum unius speciei sine ullâ sui
destructione possit mutari in
aliam speciem?

Philosophus *l. 1. de gener. & corrupt. c. 4. t. 23.* generationem
substantialem simplicem, ita definit, quod sit mutatio totius, nullo
subjecto sensibili permanente. Et rectissimè. Ex non ente
enim fit ens in generatione, & ex eo, quod ipso actu antea non erat,
jam fit aliquid existens actu: Ergo quando hoc compositum in-
terit, & inde aliud compositum generatur, totum seu res tota mu-
tatur, quia mutatur forma substantialis, specifica, ultima & perfe-
cta; quâ mutata, licet præterea nihil mutetur, totum dicitur
mutatum, & fieri aliud compositum: Ultima siquidem forma, quo-
niam rei integritatem constituit, totum vocatur à Philosopho *2. Phy-
sic. t. 31.* Quo respiciens *Thomas*, Generationem definit per mutatio-
nem à privatione formæ substantialis ad formam substantialem in
materia. Ergo nec subjectum idem sensibile remanet in generatione
seu mutatione substantiali, in actu scilicet specifico seu completo.
Licet enim materia eadem penitus maneat & ante & post mutatio-
nem: tamen quia ipsa non est completa substantia, sed tantum sub-
stantia potentia, propterea non amplius subjecti locum obtinet, nul-
lumq; subjectum sensibile in genito remanere rectissimè dicitur. Con-
cludimus hinc pro negativa responsione ad datam questionem. Ubi-
cunq; enim ex non ente fit ens, ibi tota aboletur substantia: Atqui in
generatione substantiali ex non ente producitur Ens: Ergo in gene-
ratione substantiali aboletur & mutatur substantia. Adde, quod eti-
am hoc ipso distinguatur generatio ab alteratione & augmentatio-
ne: Alteratio enim est, quando sensibile subjectum idem per-
manens mutatur tantum in qualitatibus suis vel contrarijs, vel me-
dijs, ut habet Philosophus *l. 1. de generat. t. 23.* Sic & in augmentatio-
ne sive accretione, quæ *l. 1. de gener. cap. 5* definitur mutatio minoris
quantitatis in majorem, substratum semper manet idem, quod novâ
acquiriit magnitudinem, per novæ partis appositionem, ut loquitur
Scaliger exerc. 101 sect. 15. At in generatione substantiali simplici ali-
ter se res habet; non enim eadem manet substantia, sed ex unâ pro-
B ducitur

ducitur alia: ut quando ex cibo fit sanguis, ex igne terra, ex aqua aër, neutrum manet, quod antea erat. Facessant igitur illi, qui assertere non dubitant, homines incantationibus & artibus magicis mutari in porcos, sine ulla sui destructione, cum postmodum ad pristinam formam redire possint. Mutationem enim illam per incantamenta factam, non esse veram & realem, sed tantum imaginariam, & nil nisi meras præstigias & illusiones Diaboli, quibus hominum oculos præstringit, quis est qui nesciat?

QVÆSTIO VII.

An Pisces respirent?

Piscibus respirationem denegat Aristoteles *l. de respirat. cap. 5.* his potissimum de causis: 1. quia nec arteriam nec pulmones habent, quæ organa in alijs animalibus aëri trahendo & concipiendo adornavit natura. 2. quia non apparet, moveri aliquam particulam ventris in piscibus, ut in cæteris spirantibus, 3. quia quando pisces in aquis moriuntur, etiamsi diutissimè sub aquis detineantur, nullas excitant bullas; quod tamen omnibus respirantibus, si suffocentur, accidere videmus. 4. Si pisces in aqua respirarent, etiam extra aquam aërem attraherent, ubi affatim eis suppetit, neq; ex aquis extracti statim morerentur: ut quidem fieri videmus. Non ergo respirant pisces, respiratione propriè sic dicta, quæ in alijs animantibus beneficio pulmonum perficitur. Quomodo ergo in piscium vesicas, quas aere ceu distendi notum est, aër derivatur? Putamus per branchias aërem istum attrahi, ac postmodum in vesicam derivari, sicq; pisces rectius transpirare, quàm respirare. Branchias enim moveri motu quodam transpirationis ipse sensus testatur. Quia vero in aqua, non autem in aere externo degunt pisces, ideo magis aqua, quàm aere opus habent.

QVÆSTIO VIII.

An par sit costarum numerus in utroque sexu?

Errat certè Aristoteles, quando *l. 1. de histor. anim. c. 15.* asserit, homines octonis tantum costis utrinq; constare; cum tamen viginti qua

ti quatuor numerentur, & utrumq; latus admittat duodecim. Quod si hic numerus non semper idem reperiatur in omnibus, sed in quibusdam interdum tredecim, aliquando duodecim deprehendantur, fit hoc ex accidente, ratione nimirum materiae vel abundantis, vel deficientis. Tot in mulieribus existunt costae, quot in viris. Propterea ridiculum prorsus est figmentum eorum, qui dicunt, foeminas abundare numero unius costae super numerum costarum, quae sunt in sexu virili. Contrarium testatur anatome,

QV AESTIO IX.

Cur liberi interdum patri, interdum matri, interdum neutri similes sint?

Non quaeritur de similitudine speciei, neq; de similitudine sexus, sed de similitudine individui, cujus duplicem assignamus causam: unam ordinariam, alteram extraordinariam. Illa est virtus formatrix semini indita, quae ab extrinseco agente non impedita foetum semper parentibus assimilat: patri, si masculineum; matri, si foemineum semen omni ex parte vincat. Haec est imaginatio, quae ordinariam superveniens eam foetui imprimit effigiem, quam mater conceptionis tempore attentius animo sibi infixit. Sic refert Lemnius *l. 1. de occult. nat. mirac. cap. 4.* mulierem quandam peperisse sobolem extra legitimum torum marito quam similitimam, cum tamen non ex marito, sed ex adultero conceperat: metuebat quippe, quando se alteri prostituebat, ne insperato superveniret maritus; sicq; formam absentis mariti fortiter sibi imaginabatur. Tanta ergo est imaginativae facultatis vis & potentia, ut ubi mulier fixius quid tuetur, imago illius primò per spiritus deferatur ad cerebrum, inde matri, virtutiq; formatrici communicetur, quae eam postmodum foetui imprimit: quemadmodum hoc naturae artificium, omnesq; similitudinis causas copiosius explicant, Plinius *l. 7. cap. 12.* Lemnius *in loc. modo cit.* Laurentius *l. 2. oper. anatom. c. 10. quest. 30.* Aristot. *sect. 10. problem. 12.*

F I N I S.

et quia non videtur, quod sit in rebus, sed in
animabus. Et sic videtur, quod non sit in rebus,
sed in animabus. Et sic videtur, quod non sit
in rebus, sed in animabus. Et sic videtur,
quod non sit in rebus, sed in animabus.

Quod sit in rebus, sed in animabus.

Et sic videtur, quod non sit in rebus, sed in
animabus. Et sic videtur, quod non sit in
rebus, sed in animabus. Et sic videtur,
quod non sit in rebus, sed in animabus.

FINIS



Fc 1249.
gn

ULB Halle

3

003 422 747



Bitte noch kein

Sammelbd. verwenden


nach Ausleihe


an Retro-Ecke

OK

Zurück!

VD 17





B.I.G.

Black, 3/Color, White, Magenta, Red, Yellow, Green, Cyan, Blue

Farbkarte #13

ROSANCTÆ
 QUÆ TRINI-
 S:
 E A S
ONUM
ARVM,
 genfi Academia,
 IDE
TRAUCHIO,
 phicæ adjuncto,
 am proponit,
NERUSSILE
 Electoralis.
 in Auditorio minori
 utinis.
 ERGÆ
 r Johan. Gorman.
 DC. VIII.

9

